

Disputatio medica inauguralis de dysenteria ... / [James Johnston].

Contributors

Johnston, James, active 1778.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1778.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n8p73ex9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

G1661/P *apl.*
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

JACOBUS JOHNSTON,
BRITANNUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

ficus prima calorque
Designatorem decorat lictoribus atris.
HORAT. Epist. lib. I. cap. 7.

EDINBURG:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVIII.

50337

LIBRARY MEDICAL

COLLECTOR

50

ИР

СОВЕТЫ ПОДОБНЫЕ



Viro illustri

J A C O B O J O H N S T O N,
A R M I G E R O,

Copiarum Regis legato,

Legionis equestris VI. ductori,

Praesidii et urbis Quebec

Praefecto,

Virtute militari nemini,

Per omnia secula,

Secundo ;

Sibi

Amicum animum

Ostendere dignato,

Primum suum artis medicae laborem

Venerabundus offert

J A C O B U S J O H N S T O N,

A U C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30385805>

DISPUTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,

DE

D Y S E N T E R I A.

DYSENTERIA est morbus contagiosus, cum febre saepe incipiens, dein nulla aut minus manifesta, procedens; in quo dejectiones frequentes, mucosae, sanguineae, cum torminibus et tenebro sunt, et sterlus plerumque retinetur.

Sydenhamus, p. 45. 182. 183. edit. Lugd. Batav. febrem in intestina inversam dysenteriam judicat. Quod ille obscurum dictum reliquo de hac re sermone non illustrat, suamque, alias maximam, infirmat auctoritatem. Contra, Fernellio, ‘Non omnes dysenterias febrem comitari,’ testato, quae fides debeatur eo incertius est, quod il-

A

lius

lius temporis febris definitiones ei, quae inter plerosque nunc convenit, haud paulum discrepant, quodque ipse, multorum tunc more, cum dysenteria diarrhoeam videtur confudisse. Non autem in dysenteria febrem vidisse eum, qui, in calore a corde per totum corpus praeter naturam diffuso, febrem positam putaret, neutquam est mirandum ; Fernell. Oper. p. 321. Aliquando quoque deesse febrem Hildanus testatur, cuius quoque, in acredine ingesta dysenteriam positam rati, diversaque a nobis notione febris concepta, anceps etiam testimonium est ; Hildan. Oper. p. 672. Quibus viris haud paulo gravior auctor, faltem in hoc argumento, Degnerus, non semper cum dysenteria conjungi febrem, et, cum incidat, quo faevior morbus et certior pernicies fit, eo leniorum esse, pulsumque defectu potius, quam excessu, ut plurimum, errare, confirmat. Quin et dysenteria castrensis apud Sauvagesium (Ramazzini de morbis castr. p. 637.), fluxus virulentus Saxoniae, dysenteria Indica (Bontii Med. Indor.) Dysenteria pestilentialis (Amati Cen. 3. cur. 90. Schenckii, fol. 861. A.) ; licet in ea pulsus febri- lis dicatur, sine tamen febre esse diserte memora- tur. Perpetuae autem in dysenteria febris seu pyrexiae defensores Degnero objicere scio, eum a
pulsu

pulsu solo febris notam sumpsiſſe, et ex hac de praefente vel absente illa iudicaviffe. Quod utique parum solidum mihi argumentum eſt; ut pote cum nullus caſus febrilis justus, ſeu primi ordinis primaeque claſſis Culleniana, nullus pyrexiae, ſeu totius primea claſſis ejufdem viri, ſit, ubi, uno excepto, nempe typho comatoſo, quae tertia Sauvagesio typhi species eſt, pulsus fanis celeriores non reperiantur. Eoque, niſi ii dysenteriae caſus, quos ſine febre eſſe maximus vir conteinat, ideo pulſuum, quod coīna cerebrum premetret, carerent celeritate; quod in morbo, neque cerebrum neque reliquum ultra primas vias corpus inſigniter adſicere ſolito, et praecipuam ſuam in iñteſinīſ ſtragem edente, vix quiſquam dixerit, eſſe dysenteriae caſus, febris et pyrexiae omnis expertes, haud dubie concedendum eſt; eoque magis, quod tantus vir, qui primus omnium, memoria dignorum, propriam dysenteriae naturam nobis detexit, in leviuſcula re et omnibus tum cognita erraviffe, et, quid febris ad ſummaſ eſſet, neſciiffſe, non existimandus eſt. Huç accedit, quod alii etiam ſine febre dysenteriam viderunt, et ipſe, niſi omnia me fallunt, vidi. Quid enim aliud eſſet poterat morbus in dejectiōnibus creberrimis, uniuſcujuſque diei ſpatio nu-

merum

DE DYSENTERIA.

merum sexaginta vel septuaginta superantibus, ubi nihil steroris, sed muci sanguine tincti, copia reddebat, a nulla earum rerum, quae in ventriculum ingestae diarrhoeam, quales fructus et alia fermentationem in primis viis moventia sunt, concitare solent, mense Augusto post calidam aestatem, cui calori aegrotans plurimum objectus erat, et protinus post refrigerationem, in horto a plantarum halitu, calecente ante corpore, conceptam, ortus, opioque et jusculti bovini abundantia ita solutus, ut sterlus verum, huc usque conclusum, tandem prodiens, finem malo imponeret?

Ex quibus rebus et testimoniis, febrem aliquando a dysenteria justa abesse, et ad ejus natum constituendam minime necessariam esse, ipso jubare clarius est.

Quam opinionem duo porro confirmant, primum febris, quando incidit, post initia tamen plerumque decedens, nihilque praeter intestinorum affectionem relinquens; tum ejusdem formarum varietas. Quippe enim modo intermittentis purioris, ut passim apud scriptores videre est; modo remittentis itidem purioris, ut Londini, ubi febris remittens, quae post pestem per populum ab anno M,DC,LVIII. ad M,DC,LXV. grasa fata erat, rursus sub dysenteriae forma aborta est; (Sydenham. Oper.) et sub tertianae vel

quo-

quotidiana ritu procedebat ; (Morton. Oper. Append. ad exercit. Laurichius apud Haller. Disput. vol. 3. p. 425.) ; ut in dysenteria anni M,DCC,XXVI. ab Hoffmanno relata, ubi febris quartana, continua, vel semitertiana erat ; ut in dysenteria apud Huxhamo memorata, ‘ quae haud raro stadia semitertianae peregit,’ Huxh. de Aëre Vernaculo, vol. 2. p. 139.; ut in Insula Minorca, ubi dysenteriam, cum tertiana febre mixtam, cortex Peruvianus sustulit, (Cleghorn. Morb. Minorc. vernaculo, p. 123. et 236.) ; ut in dysenteria, quam Degner descripsit, quae quandoque tertianae anomalae schema iudebat, (Degner, p. 21. Lautter. Histor. Morb. Rur. p. 104.) ; ubi in dysenteria febris perquam incerta ratione remittebat, et, methodo ad symptoma inflamatoria minuenda idonea adhibita, magis constantes et conspicuae fiebant remissiones, et cortici Peruviano demum morbus cessit ; et consimilis apud eundem, p. 118. casus, eodem remedio solutus, memoratur ; modo remittentis biliosae, (Christoph. Dougl. de Dysent. et passim apud scriptores) ; modo febris lentae et malignae, quae in omni epidemia dysenteria obvenit, et in dysenteria Neomag. anno 1736, (Degner. Histor. Dysent. Bilios.) ; modo

synochae, seu febris vulgo inflammatoriae, ut si quando verno tempore, aut aestate ineunte accidit ; (sic Joann. Pringelius observ. p. 75. 76. et alibi, ante diathesin phlogisticam vernam solutam, intermittentes febres et dysenterias, inflammatoriae naturae participes, in castris exortas, et morbos hemales reductos memorat) ; modo febris putridae, (cujus apud Zimermanum haud penuria exemplorum est ; Zimerman. de Dysent.) ; febris dysenteriam comitans apparent. Quae omnia non unius cujusvis, sed plurium scriptorum, testimonia eo spectant, ut non unius, sed plurium generum, febrem, quae dysenteriam saepe comitatur, eoque non ei propriam, sed aut casu occurrentem, aut illam ipsam non idiopathicam, sed diversorum morborum symptomaticam affectionem esse, confirmant. Atque ideo perpetuae in dysenteria febris defensores, illam febrium diversitatem in argumentum, tanquam inseparabilis a dysenteriae natura febris esset, detorquendo, non id, quo necessaria dysenteriae febris esse intelligatur, sed id tamen, quo morbus, qui illorum judicio dysenteria est, non esse comperiatur, perfecerunt ; nec verae ac idiopathicae dysenteriae febrem adjiciendam, sed quos ipsi casus pro vera ac idiopathica dysenteria

habuerunt, ei detrahendos, alisque in iis profluvium, ad alios ac diversos morbos, tanquam uniuscujusque symptoma, referendos, nec in profluvium, sed principes illos, quorum id symptoma est, morbos curationem dirigendam, ostenderunt. Certe, ubi cum profluvio, quod dysenteria esse imperitiori alicui videatur, febris synochae symptomata propria conjunguntur, ea-que sanguine large detracto et administratione antiphlogistica tolluntur; quales casus apud Zinier- manum occurunt, et qualis dysenteria verna apud Pringelium esse videtur; quis eum morbum pro dysenteria et non pro synocha justa, proque hujus symptomate profluvium, habuerit? Similique ra- tione, quoties febris, five intermittentis, five remit- tentis, five puriorum, five hujus cum bilis affectione, qualis remittens biliofa dicitur, five utriusque in forma anomala, symptomata una cum profluvio tali, quale dysenteria est, prodeunt, et corticis Peruviani usu, tam ipsa, quam profluvium, sol- vuntur, salusque confirmatur; quis, quaefo, dum- modo paululum secum reputet, nullam hic jus- tam dysenteriam, sed morbum generis intermit- tentis, hujusque illam symptoma esse, dubitave- rit? Si itidem typhus, quem esse lentam fe- brem, dysenteriae comitem dictam, haud dubito,

omnibus ei magis propriis symptomatis, propria-
que ei curatione, a dysenteriae diversa, nempe,
tonicis et stimulo illo, quem vinum praebet,
proditur ; typhum et non dysenteriam idiopa-
thicum morbum, hancque illius symptomaticam;
esse, vix dubitandi locus est. Denique, quamvis
haud aliena ab habitu ad putredinem vicino,
nam putridam haud ausim dicere, dysenteria idi-
opathica et vera est ; tamen, quoties febris putri-
dae, seu typhi petechialis, signa adparent, et in
putredinem et debilitatem toti corpori com-
munem, non aut minus in profluvium, cura-
tio, in antisepticorum et tonicorum usu con-
sistens, dirigitur ; nonne febrem putridam seu
typhum petechiale, non dysenteriam subesse,
et illius, non hujus, omni ex parte rationem
habendam, patet ? Postremo, si quoties solita
duorum morborum symptomata in uno conjun-
guntur, quis princeps verusque morbus sit, ubi
curatio alterutrius propria respondet, nunquam
ambigi potest ; certe in omnibus, quos retuli,
casibus non dysenteria cum hac aut illa febre ad-
juncta, sed febris alia atque alia cum dysenteriae
specie tantum, febris symptomatica, est. Febris
in dysenteria necessitas hoc porro signo infirma-
tur, quod, iis ipsis, qui hanc necessitatem argu-
mentis tuentur, patentibus, etiam ubi incidit

profluvium tamen eam saepe praecedit. Quod morbum consistere sine febre arguit. In hoc et aliis quibusdam morbis nosologi et systemati, qui dicuntur, scriptores a suo quisque doctrinae orbe in errorem ducti sunt; quippe quorum principium capitale sit omnes morbos necessario aut febriles aut non febriles esse. Quod tamen, ut in hoc et paucis aliis, non semper verum est; ita plerisque, qui dysenteriam tractaverunt, eam plerumque cum febre seu pyrexia, quae vox non nullis nuper placuit, saltem initio esse, suaque natura ut cum febre sit tendere, adsentio.

Febris autem non eorum generum, quae vulgo nota et descripta sunt, scilicet, neque typhus, neque synochus, neque cynanche gangraenosa, quae jure febribus annumeranda est, neque talis, qualis in exanthematis, a propria quaeque contagione pendens, sed propriae naturae, est. Eadem post initia decedit, aut vix amplius percipienda est. Unde magno Sydenhamo febris inversa in intestina dicitur. Ut autem a relatis febribus differt, ita ad typhum, quam caeteras, vicinior, rebus quibusdam, videtur. Propter enim anni tempus et habitum morbo faventem, coeli tunc temperie acquisitum, ad statum putrido vicinum febris vergit. Sed in morbo idiopathico ac sim-

plice mali caput intestinis fere omne continetur.
In his morbi origo quaerenda, ad haec conver-
tenda curatio, est.

SYMPTOMATUM COMMEMORATIO.

Ubi febris, modo relata, et morbo propria,
hujus initio quantumvis valida, adparet; postea
tamen debilitatis magnae, quam tumultus febrilis,
indicia, cujusmodi sunt pulsus vacillantes et infra
febrilem frequentiam procedentes, animi pariter
et corporis languor extremus, linguae siccitas,
potius se ostendunt.

Omni autem morbi statui haec ordine com-
munia sunt, vigilia constans, ubique debilitas,
cibi nullum desiderium aut etiam fastidium,
praecordiorum angustiae sensus, nausea, frequens
vomendi cupiditas, aut vomitus ipse, denique lin-
guae candor.

Prostervum dein, modo praeeunte, modo se-
quente, modo non omnino existente, febre, incidit.
Cujus dejectiones, steroris nisi ipso in morbi
limine expertes, mucosae, striis sanguineis inter-
tinctae, vel cum sanguine puro, sero sanguineo
aut cruento permixtae, praecedentibus easdem,

comi-

comitantibus aut sequentibus cum tenebroso tor-
minibus, plerumque plurimae incidunt ; quibus
corpora sebacea et glutinosa, lactis coagulo haud
absimilia, saepenumero addita, redduntur.

Propria vero febrili statui linguae nigredo,
fauces et os interius obsidentes aphthae, item pu-
trida aut purulenta, et quasi a tunica villosa frus-
tula, filamentorum instar, abrasa, et cum infan-
dis torminibus alvo dejecta. Sine febre ple-
rumque mitis morbus, nullo memorabili turbante
tumultu, ad placatum finem pervenit : Febrilis
saevior, symptomatis gravioribus, pestis aut ty-
phi petechialis referentibus, etiam in idiopathicō
morbo, ad citam mortem graditur. Dysenteria
justa et legitima potissimum, ac solum fere dixe-
rim, aestatis fine et autumno, scilicet, quamdiu
calor permanet, incidit *.

PRINCIPIA.

Quoniam contagiosa dysenteria est, ideo, vari-
olae, rubeolae, pestis, cynanches gangraenosae, et
typhi

* De hac re Sydenhamum, et si qui alii dysenteriam
cognitam et a diarrhoea discretam tractavere, consule.

typhi ipfius, quem magna inquinamenti humani concitaverit vis, instar, sine feminio esse videri potest. Verum enim vero non ei

SEMINIUM

Omnino deest. Quandoquidem enim eodem tempore, quo dysenteria, febres intermittentes, remittentes, et cholera, per populum graffari solent, et hi morbi, sic coniunctim incidere sueti, non nisi aestate jam praeccipite aut ineunte autumno, scilicet, inter primae Augusti hebdomadae et secundae Septembris finem, in Britannia incident; in calidioribus autem regionibus aliquanto maturius, pro maturore illic coeli calore, incipiunt; et aliquanto serius, pro majore ejusdem caloris diuturnitate, desinunt: Ideo ad unumquemque illorum, et pro certo dysenteriam, aliquis corporis internus status, aliis temporibus haud temere inductus, necessarius videtur.

Qui status, si quis caloris continuati in corpore humano effectum consideret, ei conjectu, atque etiam, genere saltem tenus, intellectu, haud difficultis erit.

JAM-

Jamdudum magnus Sydenhamus in duas partes annum medicum divisit, earumque utriusque suum effectum, alterius effectui contrarium, nempe, inflammatorium, et ad putredinem vergentem, attribuit. Quarum partium altera a solitudo hyberno ad aestivum, altera ab hoc ad illud, pertinebat; illa morborum in inflammatione aut nimia generis nervosi incitatione, haec in debilitate aut deficiente incitatione positorum, seminum invicem procreans. Earundem posterior hic affectus, scilicet, debilitas, seu deficiens generis nervosi incitatio, praeter alias habitus, quem facit, partes, cordis et arteriarum actionem imminuendo, et firma simplicia relaxando, languidorem sanguinis et humorum motum, coquiciniorem ad putredinem, quam idem calor excitare pericitatur, statum quandoque infert. Qui status eo certius incidit, quo vehementior, debilitatem gignens, calor est. Hinc in calidis regionibus cum debilitate, quam hoc anni spatium gignit, putredo in morbis, accedens ad hanc in seminiis status, conjungi, in frigidioribus locis saepe sola debilitas incidere solent. Unde non solum annum, sed et terrarum orbem eandem divisionem, ratione morborum habita, recipere, patere videtur.

Morborum, qui calido anni tempore et calidis in locis potissimum incident, in numero dysenteria, omnibus, quotquot de ea egerunt, testibus est; ideo eam caloris aestivi effectum esse constat. Calor autem per menses aestivos, firma viva nimio stimulo fatigans, eoque demum debilitans, simplicia relaxans, et humores in statum putredini vicinum vel affinem rapiens, ipsum habitum creat, in quo magis, minus absoluto, hujus anni divisionis proles morbi, supra relati, consistunt. Qui tamen hac in re varie se habent. Nam alii, ut in plague torridae tractibus, in manifestam putredinem ruunt; cujusmodi sunt febris flava Indiae utriusque, ibidem typhus, qui petechialis fere semper est, febris putrida epidemica *, tertiana perniciosa † tetartophya maligna ‡, et aliae febres; alii, ut in Europae Continente, ad putridam naturam accedunt; alii, ut in hac insula, multo saepius in debilitate puriore, quam putredine hujusve periculo, positi sunt. Quos putredinis vel hujus periculi gradus ut

dysen-

* Huxham. de aëre ad ann. 1729.

† Mercat. de febr. l. vi.

‡ Sauvag. sp. 6. Lautter. hist. med. cas 21. M. Donal. l. iii. cap. 14. ex M. Galenaria Horst. l. 1. obs. 15.

dysenteria quoque, sub similibus rebus posita, subire potest; ita plerumque eam morbum putridum esse, quibusdam non adsentio. Sed seminum ejus corporis status est, a calore diuturniore praeteritae aestatis, effectus in debilitate et statu ad putredinem accedente positus. In quo debilitas ea est, quae cerebri actionem, eoque cordis et arteriarum, ac proinde vasculorum perspiratoriorum actionem imminutam, secretiones in canali alimentario et biliariam ob id ipsum auctas, sed totum hoc citra justum morbum adhuc consistens, ponit. Est hoc, inquam, dysenteriae seminum, sed ei cum multis aliis, maximeque ejusdem temporis, morbis, et ante omnes cholera, eodem quoque tempore accidente, commune.

Nam, praeter morbos ejusdem anni, ut relatulum est, divisionis, in duo angustiora temporis spatia, ut memoratum quoque est, congestos, quidam sunt, eodem in loco, eodem tempestatis genere, iisdem sub rebus aliis et apud eosdem homines graffari, consueti, qui arctiore inter se copula conjunguntur. Ii sunt febres intermittentes, remittentes, biliosae *, item cholera †: Quorum duo priores

* Christ. Douglas Med. Kelsonensis in agro meo, in disp. inaug. de dysent. anno 1750.

† Sydenh. et Scriptores de morbo epidem.

priores ita simul incidunt, similique ratione incipiunt, ut primo biduo, quis e tribus morbus futurus sit, praedici non possit * ; dein ita se confitentur, ut ' tertio die, quasi signo dato, detracta ' quasi larva, quis demum sit, quisque aperte ' prodat.' Cholera quoque, quae in eadem epidemia vigere dicta est, si ab ipso quidem initio a dysenteria discreta adparet, sub iisdem tamen rebus, excepta quae mox memorabitur, una inchoatur. Cum his igitur morbis seminium, supra expositum, commune est. Quod enim ad febres attinet, licet eae quandoque ab inquinamentis palustribus sola vi, sine ulla corporis, qualis seminium dicitur, conditione exoriantur, saepius tamen, cum ea vi opus suum conjungunt, morbusque conditionis, ut feminii, et inquinamentorum, ut noxarum excitantium, communis est effectus. Res autem, qua cholerae et dysenteriae seminum, alias commune, discrepat, est, sub eodem coelo, et in iisdem occupationibus, vivendi generis effectus. Cujus ratio paucis verbis reddenda est.

Quamvis ea coeli et anni temporis vis est quam supra exposui ; non tamen contraria vi non flecti,
atque

* Ibidem.

atque etiam vinci frangique potest. Quod vere fieri constat. Unde enim, quaeso, nisi hinc, tempore Sydenhamiano tot morbi putridi, toties et prope sine fine recurrentes, et nostro tam pauci, iisque multo leniores, nec unquam fere per populum graffantes? Unde in castris fit, quod milites gregarii dysenteria plectuntur, et ii qui ordinis ducunt vel immunes morborum, vel non illa, sed cholera, implicantur? Adeo certe morborum, illo et hoc tempore incidentium, natura inter se discrepat, adeo putrida et graffans vis minus viget, ut clarissimi medici Londinenses, quo pacto, quove, sive casu, sive fato sic epidemicos morbos immortalis vir invenerit, oppido admirantur. Quod ad morborum, Sydenhamiano tempore et hoc incidentium, differentiam, majoremque nunc quam tum lenitatem, aut saltem minus putridam naturam, attinet; ejus differentiae causa in promptu videtur; scilicet, plenior illo, quam hoc seculo, carnis cibique ex carnea materia usus; quippe quam materiam non solum prandere, caenare, sed etiam jentare, et pro merenda adsumere, multoque minus eidem ex plantis paratam in omni cibo miscere, tum moris esset. Similique ratione, ordinum in castris ductores multo tam recentis carnis, quam materiae

ex plantis paratae, plus omni cibo permiscere solent. Unde licet calor anni, temporis, et regionum calidorum proprius, ad putredinem quidem, aut hujus periculum, in corporibus humanis faciendam, ita ut expositum est, pertineat; eum tamen corporis statum, qui caloris est effectus, ut augeri carneo victu et aliis rebus potest, ita imminui, prohiberi, et quodam tenus in contrariam verti contrario victu et rebus contrariis posse, colligendum est. Certe morbi minus nunc, quam olim putrescentes, ordinesque ducentium, ubi reliquos in castris dysenteria aut consimilia mala premunt, vel salus, vel contraria dysenteriae cholera, haud obscure illud confirmant. Contrariam autem dysenteriae cholerae esse, fructus et acidam in ventriculo fermentationem alia foventia, hanc facientes, illi opem ferentes, satis clare arguunt. Quae res vera, diversam horum morborum naturam adeo illustrans, ad virum clarum Degnerum, qui milites, cum in vinetum irruissent, et fructus copiam devorassent, e dysenteria convaluisse scribit, accepta referenda est; dum eundem, et si qua alia acidam in ventriculo fermentationem movent, tam cholerae feminii causam, quam noxam excitantem, esse, ab omnibus qui

qui illum morbum rite cognitum tractavere, intelligitur. Ut adrem redeam :

Cum igitur, ut ex rebus et rationibus expositis patet, calor una cum vietu, scilicet, e carne petito, ad dysenteriam, idem una cum vietu, e plantis confecto, ad cholerae viam faciat ; ideo proprietas, qua illius seminum ab hujus differt, est, quod in illa vicinior ad putredinem status, in hac vicinior ad motus abnormes, quos fermentatio peccans facit, in illa debilitas sedatior, in hac cum mobilitate conjuncta, potissimum subsunt.

Utrique communis est, per communem generis nervosi debilitatem, cordisque inde et arteriarum languorem, perspiratio impeditior. Unde in utraque etiam largior bilis, et confluentium in primas vias humorum, secretio. Quod turbarum, mox ibidem saeviturarum, fundamentum, secunda adhuc valetudine, jacit.

Quae ipsa res una cum causa ejusdem dysenteriae, cum intermittente aut remittente biliosa febre, nam in illa quoque bilis hoc tempore abundat, communis est. Quare autem postea illarum seminum febris intermittentis generis, hujus nulla aut diversa, ac ne sic quidem permanens, febris, sed proprius intestinorum tumultus, sequatur, suo

loco,

loco, sub noxarum excitantium ratione expontur.

Postremo, ut in unum conspectum feminii dysenteriae partes contraham; id habitus totius corporis, maximeque primarum viarum, et ex his maxime intestinorum bilisque itinerum, non putrescens, qui justus vix justo morbo contingit, sed ad putredinem vicinus, cum perpetua cerebri, generisque nervosi totius debilitate, cordis et arteriarum actionem, eoque vasculorum perspiratoriorum, illis potissimum parentium, actionem imminuente, et sic in vasibus biliferis, iisque, quae humores in intestina mittunt, secretiones augente, sed adhuc citra morbum consistente, est. Eiusdem

SEMINII CAUSÆ

Sunt, praeter calorem externum, quaecunque ejus effectum augent, quaecunque debilitant, quaecunque ad habitum putrescenti vicinum gignendum pertinent, aut denique perspirationem porro imminuunt: Eoque sub jubare exercitatio, vietus e materia carnosa constans, ex plantis negata, labor, fatigatio, omnia ad morbum viam sternunt.

sternunt. Quibus noxis hoc commune omnibus est, ut leniore fere opere, lentoque et in longius temporis spatium diviso, agant.

NOXÆ EXCITANTES

Sunt eaedem fere, quae seminii causæ, sed subito et vehementiore opere, atque in unum quasi temporis punctum collato omni, agentes. Ut morbi multitudinem complexi, eoque suam naturam clarius prodentis, qualis in castris adparet, exemplum sumam; postquam, continuato praeteritiae aestatis calore et reliquis seminii causis, hoc jam ante paratum intus permaturuit, si subito, unius, puta, noctis spatio, pernoctantibus in tabernaculis militibus, pluvia incidens, versoque humano in humorem vapore, genus nervosum subito refrigerando, sedans, sic perspirationem, jam ante languentem, suppressit; protinus jecoris, protinus intestinorum tumultus, hactenus cæcus, sed evidenti tandem proximus, jamjamque erupturus, erumpit; bilisque et, quotquot humores in intestina secerni solent, copia profusa, et acrior simul facta, causa morbum continens uno impetu constat. His noxis excitantibus, modo

com-

commemoratis, et cum aliis morbis quodammodo communibus, huic propria adjicienda est.

Quae

C O N T A G I O

Est, ab eorum, qui morbo laborant, stercore suboriens. Quae, sine seminio suaque mera vi, morbo par inferendo sit, ut quibusdam aliis morbis, nempe febribus intermittentibus, typho, pesti, usu venit, an seminii conjuncto opere egeat; ideo dici nequit, quod nunquam, nisi tum, cum, ut ex anni tempore judicandum est, jam ante quaestum et presto intus seminium est, scilicet, eo tempore, quo morbus ipse, occurrit. Quae quaestio, licet adhuc igitur incerta et, ut aiunt, sub judice sit, tamen altera, nempe, an seminio acquisito et noxis excitantibus, quae supra comprehensae sunt, agentibus, sine contagione morbus unquam nascatur, haud paulo clarior illustrorque esse videtur. Si enim uno eodemque tempore, ut unius noctis spatio, morbus quandoque, quod neutquam dubium est, incidit; certe omnes eos, qui sic simul illo implicantur, a stercore uno infectos, non existimandum est. Unde dysenteriam plerorumque morborum, qui semipii

et noxarum excitantium conjuncti necessario operis effectus sunt, in numero esse constat, sed eandem a mera principii, nempe, contagionis, vi, dempto feminio, nasci, non etiam convenit.

CAUSA MORBUM CONTINENS

Est feminium supra relatum, nempe diathesis ad putredinem vergens, cum adjuncta semper huic debilitate, qua cerebri, cordis, et arteriarum et vasculorum perspiratoriorum, actiones imminent, eoque perspiratio languere, intelliguntur; ad morbi jam modum aucta: Scilicet, diathesi, et hujus comite debilitate, sic auctis; repressa per refrigerationem perspiratio, jam ante directam in jecur et intestina humorum inclinationem, porro impellit. Quo facto, augetur bilis, augetur humorum intestinalium secretio, iidemque humores pro ratione aciores facti, fibras intestinalium circulares insolito stimulo adficiunt. Quarum ideo contractiones auctae affectionem, quae constrictio dicitur, constituunt: Constrictio autem sic facta, diametrum cavi intestinalis imminuendo, humores transfluere finit, stercus scybalorum forma retinet. Quod, sic a constrictione retentum, hanc rursus,

rursus, nempe sui causam, distendendo, eoque easdem fibras insuper stimulando, auget, fitque invicem constrictionis effectus pariter et causa.

PROGNOSIS.

Quoniam in diathesi ad putredinem vergente aucta cum debilitate consistit morbus; igitur, quo majores hae sunt, eo metuendus magis finis est. Hinc tenerae aut extremae aetati, sexuique sequiori, et fracto aliis morbis jam ante robori, infestior esse solet.

Ex symptomatis quoque aliquid eventus judicium sumendum. Bonum signum est bilis flava et viridis, quolibet morbi tempore, sed maxime initio, supra aut infra rejecta. Mala sunt vomendi, proiecto morbo, frequentia, item singultus, qui initio minus refert, et materia faetida faniosa alvo rejecta. Quae, nescio aegrotante, effluens, morbi simul et aegrotantis finem adesse denunciat.

MEDENDI

MEDENDI RATIO.

Quoniam causa morbum continens in diathesi ad putredinem vergente, cum debilitate totius corporis et humorum copia et acredinē, fibras intestinorum irritante, et constrictiōnem, stercus retinentem, et ab hoc auctam, faciente, positus morbus est; ideo medendi consilia esse humorum acredinē tollere vel corrigere, et solvere constrictiōnem, sequitur.

Quod ad priorem prioris consilii partem, quae corrigendam acredinē proponit, attinet; ei accommodata auxilia sunt, supra forsitan, et pro certa infra purgantia, ore data; quibus nonnulli clysteres adjiciunt.

Quorum emetica eo minus idonea videntur, quod motum peristalticum invertendi, et nova mala concitandi, periculum intentant. Certe, nisi semel et initio morbi, ad fôrdes putredini vicinas, non autem acredinē humorum in intestinis, auferendas, vomitus non convenit; eoque a consilio nostro alienus est.

D Cly-

Clysteris vero, qui in colica, in intestinorum spasmo posita, utiliter, cum alvum purgantium opere, ad intestina penitus toto tractu expedienda, adhibentur; in plerorumque curationibus minus adhiberi solitos video. Unde minus necessarios esse arbitror. Quibus haud paulo certiori auxilio sunt,

Alvum purgantia. Cum enim acres humores, supra relati, praeterquam quod constrictionem, et haec steroris retentionem, irritando efficiunt, omnia quoque totius intestinorum, maximeque amplorum, tractus puncta, per eandum irritationem in nimios motus concitent; et hinc tormina, et ab iisdem motibus, ad finem recti continuatis, tenesmus pendeant; quicquid igitur ad acres humores, motuum ex parte causam, depellendos pertinere possit, id quoque ad morbo medendum et salutem reducendam, non prodeesse non potest. Quibus autem medicamentis purgatio attentanda sit, sub altera consilii, ubi iterum de iis agendum est, parte proponetur.

Corrigunt autem vel obtundunt accredinertia, diluentia, demulcentia, et antiseptica.

Ex diluentibus praecipua et sola fere aqua est. Cujus ea blanda adversus pleraque corpora natura est, ut, sine eorum mutatione, vel acerrima corrigere,

corrigere, et blanda, vel multo minus acria, reddere possit. Itaque sola aqua fossilia acida adeo mitescunt, ut bibi impune possint. Quorum, ut et humorum, de quibus hic agitur, acredo hoc infringitur, quod particulae acres, longius inter se disponuntur, eoque minore vi singulae in singula partis, cui admoveantur, puncta agunt. Hac ratione aqua tepida sola dysenteriam persanavit *. Aquosa quoque proprietate serum lactis et juscula ex carne confecta imbecilliora, qualia pullinum et bovinum sunt, quae magnis Sydenhamus laudibus extulit, et ipse sola solvere morbum vidi, haud dubie ex magna parte agunt.

Quid autem succus animalis, qui in jusculis inest, valeat, postea memorabitur.

Demulcentia, tunicam villosam tegendo, ab acredine defendendo, ipsam hanc impediendo, et ab illa dimovendo, agunt. Quorum copiam ars natura suggerit; cujusmodi, decocta amyli, hordei, sagae, lini seminum, item malvae et gummi Arabici, denique olei species, sunt. E quibus omnibus, cum alias pari fere inter se virtute sint, olei pleraque species reliquis eo posthabentur, quod omnium ingratissimae ventriculo evadunt.

Adeps

* Hoffman. de Dysent. et apud eum mult.

Adeps ovina lacte et amylo additis data, in vigore morbi parum tolleratur *. Reliquis tamen speciebus haud exiguo discrimine anteire oleum ricini nuper inventum est.

Antiseptica praecipua, quae in dysenteriae curatione vulgo adhibentur, sunt acida, acfescentia, vini imbecillioris, eoque magis acfescentis, species, et cortex forsitan Peruvianus, sunt.

Ex acidis, non fossilia diluta, quae minus ipsa fermentiscendo, minus quoque contrarii generis fermentationi obviam eunt; sed vegetabilia quae dicuntur, maximeque acetum, respondent. Confimiliique virtute

Acfescentia, nempe, fructus acido-dulces satis maturi, sunt. Quos ad tollendam dysenteriam imprimis efficaces esse, summa auctoritas, gravissima testimonia, sunt. Quae res, quantum a cholera, quam multis rebus refert, differat quoque dysenteria, luculento argumento est. Quippe enim hi ipsi fructus in noxarum, cholerae excitantium, numero sunt, qui dysenteriae remedio esse reperti sunt. Cujus rei distinctio saepe relato, et jure laudato, viro Degnero debetur.

Vinum

* Pringle, Diseases of the army.

Vinum autem generis ejus, quod dictum est,
dupliciter, tum qua alkahol continet, tum qua
acescit, eodem viro teste, et adsentiente ratione,
prodest *.

Haec omnia antiseptica, non ut diluentia, particulas acres longius inter se disponendo, neque ut demulcentia, has et tunicam villosam tegendo, et ab hac illas distinendo, sed fermentationi, in putrescentem naturam ruenti, occurrendo, et forsitan cum corpore, ex illa prognato, se miscendo, et neutrum corpus pariendo, agere verisimile est. Hoc in loco, quod de dysenteriae feminio, et causa illam continente, saepius ante dictum est, in animalm velim revoces; scilicet, justam putredinem raro huic morbo, sive imminenti, sive praesenti, subesse, contraque imminentे hoc, id est, in feminio, diathesin inesse putredinem vergentem, in causa continente, eandem augeri, sed nunc quoque raro ad putredinis justae modum adsurgere, memineris. Nam, ubi putridus typhus adeat, is aut morbus, profluvium symptomata, et ad illum curatio dirigenda est, quod plerumque, nisi fallor, fit; aut uterque morbus, quod rarius, judice me, in usu venit, conjunctus est. Quod tamen ut

* Degner. pag. 74, 247.

ita est, diligenterque alios morbos ab hoc segregandos, ne, quod summi omnium momenti est, curatio perturbetur, contendo; ita, si quando in dysenteria idiopathica, putredo ipsa aut huic proximus status, vix ab ea differens, incidit, prae omnibus corporis partibus ea putredo, siue status ei proximus, vixque differens, canalem alimentarium adfectat. Eoque supra relata antiseptica, quae in locum laborantem protinus, primum, et recta recipiuntur, tanto potentius ad illud vitium corrigendum pertinebunt.

Cortex Peruvianus, quem in dysenteria nunquam adhibitum novi, quoniam in putridis morbis adeo efficax antisepticum notus est, nonne in hoc quoque, ubi corporis status tantum gradu a putredine distat, auxilio fore putandus est, eoque magis, quod status cui adversatur, in eodem canali alimentario ejus actionem omnem recta excipit?

Altera consilii pars, quae ad constrictiōnē tollendam dirigitur, per alvum purgantia et opium peragitur.

Ex alvum purgantibus, rhabarbarum nuper in frequenti usu fuit, a clarissimis viris adhibitum. Quod tamen, quia tormenta concitat, et adstrictiōrem postea alvum relinquit ejus actio, praesens

ufus

usus jure respuisse videtur. Cum eo tamen vir illustris Joannes Pringelius, Eques, pauca calomelanos grana, quo potentius, quoque mitius effet, conjungenda ostendit. Cui utique, sive solidi, sive cum illo altero addito medicamento, haud paulo praestant, lenius simul et minore cum tumultu agentia, alvum purgantia; cujusmodi sal catharticus amarus vel Glauberianus sunt, quibus clari viri usi sunt *.

Ea, praeterquam quod ad acres humores, ut supra dictum est, auferendos pertinent, etiam durum sterlus, constrictione retentum, et in duras massas, scybala dictas, divisum, fortiter protrudunt, eoque ipsam constrictionem a scybalis, suo effectu, invicem auctam imminuunt. Quorum opus diluentia, supra relata, eadem scybala humectando et molliendo, potenter quoque adjuvant. E quibus aqua tepida, quae sola dysenteriam sustulisse dicta est, id ex parte, fibras constrictas molliendo et humectando, praestare mihi videtur.

Opium, a quo multi, metu, ne alvi in hoc morbo compressionem, motu peristaltico imminuendo, auctam confirmaret, absterriti sunt, experientia expli-

* Huck. Donald Monto.

explicabili efficacissimum remedium nuper exploratum est. Cujus rei huc explicatio redit: Si compressio a debilitate aut torpore sine irritazione, id quod in colica usu venit, penderet, id est, motus peristalticus imminutus, causa morbum continens, vel hujus pars praecipua, esset, tum opium, cuius est motum omnem imminuere, illum porro imminuendo, morbum necessario augeret; perinde ac in ejusdem colicae curatione. Verum, quoties, e contrario, non in imminuto, quamvis cum debilitate alias conjuncto, sed aucto per irritamentum grave motu peristaltico, ut in cholera et dysenteria accidit, morbus positus est; tum opium, ob id ipsum, quod nimium motum imminuit, ad effectum ejus, constrictione tollendam, valet. Hinc non fugiendum, sed sequendum, in dysenteria auxilium est, qui que extinxerit, eorum timor sane vanus erat. Quam explicationem felix opii in dysenteria usus multiplex, et nunquam contemnenda Sydenhami magni auctoritas confirmat. Confirmat ex simili causa pendens motus abnormis is, qui post partum mulieribus accidit, similiter opio compositus. Quin et nulla explicatione, ne eorum quidem, qui eum refugerint, usus ejus refugiendus videtur; quoniam, si vel maxime augere compressionem periclitari conceperetur,

deretur, tamen effectus purgantium, cum eo conjunctim aut alternatim datorum, motumque peristalticum excentium, et excitum servantium, contrario pensaretur ; et quicquid boni ex motibus componendis acciperetur, idonne lucrifierit, quicquid mali ex iisdem nimis imminuendis nasceretur, id omne procul amoveretur. Qui vero assiduam dejiciendi cupiditatem, praecedentibus et comitantibus unamquamque saevis tormentibus, in tenesmum saepe intolerabilem desinentibus, nec eandem quidem non quoque insequentibus, consideret ; si, quanto hi motus abnormes, etiam numero modici, glandulas mucosas, liquorem intestinalem secernentes, et arteriolas exhalantes, quarum mille millia, suum quaeque humorem, in unum intestinorum cavum mittunt, adeoque copiose, ut earum aucta aliquando excretionem etiam ad diathesin phlogisticam tollendam valeat *, stimulando, et assiduam largamque ex-

E ccretionem,

* Amicus meus, supra relatus, alvum purgantium, quae nuper addubitari coepit, actionem ad diathesin phlogistica solvendam summopere valere, haud uno exemplo docuit; illamque magni Sydenhami curationum partem, quae is alvum purgantia cum sanguinis detractione toties alternavit, in vero, ut omnia iere ejus, fundatam esse demonstravit.

cretionem, usque ad sanguinis ipsius profusionem, irritamento gravi sollicitando, debile iam ante corpus magis debilitet exhauiatque, reputet; si, quanto magis iidem motus, numero ingentes, qui saepe ducenti amplius quotidie sunt, et decies singulis horis dejectiones, aut harum cupiditatem, referunt, ut nulla mora, vel brevissima, nullum temporis punctum, liberum terminibus et tenesmo esse possit, genus nervosum, firmis vivis ad extremam debilitatem redactis, simplicibus a putredine non multum alienis, aut in hanc celeriter ruentiibus, tono, quem tensio, in plenis vasibus posita, dat, imminuendo, et sic robur prosternendo et frangendo, frangant et prosternant, secum animo perpendat: Nae ille, quicquid dirorum motuum lenimen promittit, aut vel brevem requiem tantum interponit, id prae reliquis omnibus salutiferum fatebitur, et exiguum incommodi, nec id quidem certum, sed potius contemplatione animi, quae falax est, quam experimento compertum exploratumque, minime tanto certoque bono obstatere debere, lubens certe agnoscet. Si alvi largior in ipsis phlegmasiis, ubi diathesis phlogistica summa vigensque mali caput agnoscitur, purgatio ad eam tollendam valet; si tantum boni, abnormes in cholera et dysenteria motus, ut verisimile est, fistendo,

fistendo, opium praefstat, an inde, quod cholera, quae febris pariter et putredinis expers est, et dysenteria, cui putredo justa raro subest, et idiopathicam lenis brevisque pyrexia, ut videtur, comitatur, tamen, ubi motus in utraque vehementes sunt, adeo cito mortem adferat, conjici causa potest? Mihi certe reputanti, et omnia horum morborum diligenter animo perpendenti, nihil verisimilius ad annum, quam motus et motuum causam utriusque mali caput esse, et quicquid motus componit, quicquid causam tollit, id prae reliquis salutem promittere, adcurrit.

Huic consilii parti balneum, vesicatoria, et hirudines, si rationis in aliis morbis, in constrictione quoque intestinorum positis, similitudo spectaretur, adjici poterant. Quorun tamen contra usum est, primum, quod curatio supra proposita sufficere videtur, dein quod prudentissimi medici aut non omnino ad haec decurrerunt, aut in iis curationis vim non collocaverunt. Hoffmannum quidem, qui in pedum frigore periculum metuebat, calentes lateres pedibus supposuisse, vesicatoriis tormina levasse Joannem Pringelium, et a Degnero relato Reuchnerum quandam in morbo, quem ille pro 'dysenteria fine epidemica' habebat, super 'loca haemorrhoidalalia hirudines'

posu-

posuisse, video. Praeter autem auctoritatis, haec remedia in dysenteria commendantis, penuriam, contra eadem ratio stare videtur. Si enim hirudines eo, ubi dictae sunt, imponantur, nihil aliud efficient, nisi ut sanguinis in vicinis vasis copia imminuatur; sed sanguinis copiam motuum, vascula excretoria, supra relata, ad nimiam et saepe sanguineam ipsam, excretionem, stimulo sollicitantium, vehementia satis superque aufert. Satis autem superque dico, quod minime eorum morborum ex numero dysenteria est, qui in sanguinis abundantia consistunt; et, e contrario, si naturae ejus ex singulis hujus chartae partibus justa notio colligatur, eam in diverso corporis statu ab illo, cui sanguinis detractio, sive communis sive localis, remedio sit, haud obscure intelligetur.

Balneum quidem in colica fomenti abdominis forma adhibitum prodeesse, non inficiandum est. Sed nihil cum colica dysenteriae, praeter earundem fibrarum constrictionem, commune est; quo minus utrique communia remedia forte putas. Quod, si tegumentorum communium fibras musculares relaxando, per generis nervosi, quod unum est idemque, consensum, ad intestinorum quoque relaxandas pertineat, certe in morbo,

ubi

ubi cum vivorum debilitate, simplicium firmorum laxitas morbosā necessario et individue conjungitur, superaddita laxitate opus aut usum esse, non aeque dixeris ; neque

Veficatoria, quorum actio adversus spasmos abdominis viscerum non in extrema debilitate positos, et inflammationes pariter bona est, in constrictione tali, qualis dysenteria est, scilicet cum magna debilitate conjuncta, frugifera fore putanda sunt. Quae ipsa si quid humoris serosi copiam auferendo, quod verisimile est, quippe quarum ibi, quo imponuntur, actio, alvum purgantium, in intestinis actioni simillima sit, valent ; eo minus necessaria in morbo sunt, in quo alias idem humor immodice per vim morbosam abstrahitur.

Finita demum hac charta, legentes, spero, simplicem morbi me notionem inculcasse, casus symptomaticos, maximeque eos, ubi diversae febrium formae principes morbi, profluviū harum symptomaticum, et curatio diversa, erant, utiliter recidisse, seminum dysenteriae naturale, et hujus praecipuas causas, commonstrasse, noxas excitantes, earumque simplicem effectum, exposuisse ; ab his pariter et seminio causam morbum continentem deduxisse, et hinc medendi consilium,

lum, eadem servata ad finem simplicitate, derivate, ubique in explicationibus parcum, cautum, et mihi met constantem fuisse, a magnis viris modeste, pudice, et reverenter diffensisse, minoribus reprehensionique et animadversioni obnoxiiis percisse, vel silentio tradisse, et hoc omne sine gloriola aut ostentatione vana fecisse, videbunt. Errorum veniam, ut moris apud disputationum hic scriptores est, non petendam puto; quam prudentiores suo candore lubenter huic aetati dabunt, imprudentiores et juniores, sui memoria, non aut indecora recusabunt.

F I N I S.

- De Dyspepsia Temple 1.
De methodo undandi
variolam; praeiunre
auxilio Fr.ij. Fowler 2.
De natura aeris fixi
Newville — 3.
De Hydrope Scott 4.
De sanguinis circuitu
Adye. — 5.
De attractione chemica
Scorbuto Thir — 6.
De Scorbuto Worcester 7.
De frigoris in corpus
humanum potestole 8.
De cholera Leman 9.
De curatione febrium
a contagione Rogers 10.
De Physiologia & Pathologia
Dentium Graepiorum
S. Henricus Jackson 11.
De Zebre flava Curtin 12.
De Tetra Willis 13.
De Electricitate Steavenson 14.
De fœtus humani huiusmentis 15.
De Hepatitide Scott ^{Waus} 16.





